

Kreis  
Steinfurt

S 190

1276 Mai 16 Steinfurt, unter der Linde.

[76  
190

Die Edlen Rudolf, Baldwin und Otto von Steinfurt übertragen der Kommende Steinfurt das Eigentum der von ihr in Ochtrup angekauften Lehengüter des Steinfurter Lehensmanns Hermann von Legden, nämlich des Hofes Sch. Uphof in der Oster-Bischf., und des Erbes Brilwer bei der Kirche und Thiemann in der Wester-Bischf.

Omnibus Christi fidelibus presentium inspectoribus Ludolfus, Baldwinus et Otto fratres de Stenvordia rei geste noticiam cum salute. Labilis est hominum memoria et ea, que fiunt ab hominibus, in oblivionem defluunt ex facili, nisi scripture testimonio perhennentur. Eapropter tenore presentium innotescere volumus universis, quod Ludbertus frater sancte domus hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, commendator eiusdem domus in Stenvorde, cum consensu nostro et fratrum suorum omnia bona et homines, que Hermannus miles dictus de Legden in parochia Ohctepe habuit, domui sue ad usus unius sacerdotis comparavit scilicet curtum, que vocatur Uphof, cum omnibus suis appendiciis pro quinquaginta marcis; domum apud ecclesiam Ohctepe cambivit cum quadam domo in Holtwic; casam, que vocatur Tygkote, cum suis hominibus et appendiciis cambivit cum mensuris, quas domus Bernardi de Oldenlegden solvit de quibusdam agris, qui vulgo vocantur hurlant. Et quia hec omnia a nobis iure ministeriali tenuit, dictus Hermannus cum uxore sua Aleyde et omnibus pueris suis scilicet Bernardo, Hermanno, Hadewige et Regelande in manus nostras hec omnia bona supradicta ad usus dicte domus resignavit. Nos vero fratres cum Ludolfo filio fratris nostri Baldewini et consensu uxorum nostrarum scilicet Jutte et Elizabeth sepedicta bona cum omnibus suis appendiciis scilicet hominibus, arcis, pratis, pascuis, agris, nemoribus quoad liberam possessionem seu proprietatem, dominium utile vel directum, predicte sacre domui hospitali et fratribus contulimus et in eos transtulimus sponte et libere et ex toto renunciantes eidem iuri et omni actioni et generaliter omnibus rebus, quibus collatio seu translatio huiusmodi vitiari aut impugnari potest aut dictis fratribus in eisdem bonis cum suis appendiciis aliquod preiudicium in posterum generari. In cuius rei evidentiam presens desuper conscribi fecimus instrumentum et ipsum predictis fratribus tradidimus sigilli nostri munimine roboratum. Acta sunt hec publice in Stenvordia sub tiliā, sabbato post ascensionem Domini, anno Domini M<sup>o</sup>cc<sup>o</sup>lxx<sup>o</sup> sexto, presentibus dapifero nostro Hinrico de Detthen, Gerardo de Vullen, Ludberto de Langen, Ecberto de Metelen, Richardo de Legden, Rotgero de Milthe militibus; Reinero de Legden, Johanne de Vullen et fratribus dicte domus et aliis pluribus fidedignis.

Orig. Siegel Ludolfs mit Rückiegel (Schwurhand). VIII. 98. II. 1. 1. 1.